

2 **COM MENT. D. A M B R O.**

Igitur quatuor modis scribit Romanis. H̄i enim caput sunt omnium gentium, ut in his discant cæteri, arguens ab initio genus hominum, partim physica ratione, partim per legem. **P**rimus modus est, quo se ostendit quid sit, & cuius sit, & quid fuerit prius, quo & hærefes percutit. Secundus modus est, quo arguit quod naturæ ratione non se subiecerint uni deo: & quæ inhonestæ & turpia egerint, despecti ob hoc à deo, ut gratulētur credentes. Tertius modus est, quod datam legem spreuerunt: unde anteponit Græcis Iudæos. Quartus modus est, quo docet Iudæos exorbitasse à lege & prophetis, in causa Christi similes factos gentibus, ut utriq; indigent misericordia dei, non per legem sperando salutem, sed per fidem Iesu Christi. **V**nde omni industria id agit, ut à lege eos tollat, quia lex & prophetæ usq; ad Ioannem, & in sola fide illos Christi constituant, & quasi contra legem Euangeliū vindicat: nō destruens legem, sed præferens Christianismum. Ostendit enim sic promissum Christum, ut illo adueniente lex cessaret: non tota, quia abbreviatio legis facta est, quæ compendio daret salutem. Multa enim ueteribus tradita sunt propter duriciam cordis illorum, ut oneri essent, quæ misericordia dei abbreviavit, per Christum data præteriorum remissione. Ingratus est enim misericordiae dei, qui uult esse sub lege. Nam dixerat Moses: Sic timet facies filios Israël, ut quacunq; se uerterent, legē haberent, ut sine sollicitudine omnino nō essent. Ut igitur in Christo sine lege spem uitę salutisq; ponendam tradat, & ipsum esse dominum omniū doceat, sic incipit.

CENSURA.

Scito lector argumenta, quæ præferuntur epistolis, non esse Ambrosij, sed inepti cuiuspiam consarcinatris. In hoc autem argumento prodigiosa erat exemplariorum